

passionis enim expertus est: et ratio est, quia secundum sequitur materiam, cujus actus est virtus sensitiva, non autem intellectiva: primum vero sequitur improprietionem potentie ad objectum, quæ salvatur ita in virtute immateriali, sicut materiali. Sicut enim noctua ex sua specie visum improprietionatum claro lumini habet; ita homo ex sua natura intellectum improprietionatum claro intelligibili separato: scilicet secundum rem a materia. Conveniunt ergo intellectus et sensus in primo, sed differunt in secundo. Ex qua differentia Aristoteles ibi dicitur oriri, quod sensus post excellens sensibile sensatum debilitatur: intellectus autem post excellens intelligibile intellectum non alteratur, magis potest intelligere alia, quod intelligendum est secundum modum sibi possibilem. Ex hoc autem non licet inferre; ergo potest quidditative cognoscere substantias immateriales: sed, ergo non procedit ex ejus alteratione, quod illas non possit comprehendere; quod gratis concedimus: habet enim homo intellectum ratiocinativum qui oritur in umbra intelligentiæ apud Isaac: et ideo proportionatus naturaliter ad intendum intelligibile non purum et clarum, sed obumbratum materie: quale est quidditas a sensibilibus abstrahibilis. Hæc de quarto.

Quoad quintum ponenda est opinio S. Thomæ quam ex prima parte, quæst. LXXXVIII, et III contra Gen., cap. XLV et II Melaph. assumo. Tenet ipse hanc conclusionem: Anima humana corpori conjuncta non potest quidditative cognoscere substantias immateriales, quæ ad præsens dupliciter probatur. Primo sic: Intellectus existens in potentia non nisi ad recipienda intellecta abstracta ab intellectu agente, non potest intelligere quidditative substantias immateriales: intellectus humanus est hujusmodi, ergo. Major ex terminis patet: oppositum enim prædicati infert oppositum subjecti. Quod enim potest intelligere substantias separatas quidditative, non est tantum in potentia ad recipienda abstracta ab intellectu agente, quoniam substantiæ separate non sunt abstracta a materia per operationem intellectus agentis. Minor ex Aristotele colligitur, III de Anima, text. comm. XVII, ubi dicitur, quod intellectus agens potest omnia facere, quæ intellectus possibilis potest fieri.

Secundo probatur sic: Nullus effectus sensibilis potest docere in quidditativam cognitionem substantiarum separatarum; ergo intellectus humanus conjunctus corpori, non potest quidditative illas cognoscere: consequentia tenet: quia nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu. Antecedens vero probatur ex eo quod effectus dupliciter potest in cognitionem quidditativam suæ causæ docere. Vel per modum similitudinis: sicut effectu univoco cognito, ejus causam quidditative cognoscimus: propterea quia sunt ejusdem naturæ: et hoc modo clarum est nullum sensibile posse perducere ad substantiarum immaterialium naturas, eo quod differunt non solum specie, sed genere. Alio modo effectus dicitur in quidditativam cognitionem suæ causæ non per modum similitudinis, sed per hoc, quod demonstrat totam virtutem suæ causæ. Sicut intelligere ostendit totam virtutem animæ intellectivæ: et ideo ex tali operatione in ejus quidditativam cognitionem procedimus. Nec hoc modo sensibilia valent ad cognitionem quidditativam intelligentiarum nos perducere. Nullus enim effectus particularis adæquat totam virtutem causæ universalis, quolibet autem sensibile est effectus particularis ut materiales conditiones earum cujusque ostendunt: igitur per nullum sensibile in quidditativam cognitionem substantiarum mate-

rialium, quæ causæ universalissimæ sunt pervenire possumus, etc. Hæc de quinto.

Quoad sextum contra hanc determinationem arguit supradictus Joannes de Gandavo in III de Anima, multipliciter.

Et primo contra illam particulam in conclusione positam, conjuncta corpori. Nulla forma impeditur a sua nobilissima operatione propter unionem ejus ad propriam materiam: sed intelligere substantiarum separatarum quidditates est nobilissima operatio animæ humane, ut patet I et X Ethic. Corpus autem humanum est ejus propria materia, ergo anima humana propter unionem ad corpus non impeditur a speculatione substantiarum immaterialium.

Præterea ad idem, anima humana aut nata est intelligere substantias separatas per suam substantiam, aut per speciem influxam, aut per speciem causatam ex phantasmate. Si per suam substantiam, cum substantia ejus per unionem ad corpus non impeditur, poterit eas intelligere: si per speciem a phantasmate sumptam, unio ad corpus juvabit: si per speciem influxam, quaeritur quomodo unio ad corpus impedit, aut non permittit talem influxum fieri; hoc enim non videtur rationabile aliquo modo esse, quia generatio unius speciei non impeditur a corpore, nisi corpus habeat contrariam dispositionem dispositioni requisitæ ad ejus generationem. Verbi gratia, quia color exigit diaphaneitatem in aere, ad hoc ut recipiatur in eo, nullum corpus impedit generationem speciei coloris, nisi habeat opacitatem quæ contraria est diaphaneitati, modo corpus humanum nullam habet dispositionem contrariam dispositioni, quam exigit receptio speciei intelligibilis influendæ, ut patet: ergo. Et confirmatur ratio sic: Bonum simpliciter alicujus naturæ non impeditur propter bonum simpliciter ejusdem naturæ. Quod enim impedit bonum simpliciter alicujus naturæ est illi malum simpliciter: sed intelligere substantiarum immaterialium quidditates, est bonum simpliciter animæ humane: ergo non impeditur per unionem ad corpus, cum hoc sit et etiam bonum simpliciter. Tertio arguitur contra conclusionem ipsam ex dictis S. Thomæ sic, isti dicunt quod cognoscimus esse intelligentiarum non quidditates: aut esse est idem quod quidditas aut diversum: ergo utrumque sub nostra cadit cognitione; quicumque enim cognoscit diversitatem aliquorum, cognoscit extrema illius diversitatis, ut dicitur II de Anima, text. comm. cxLVI. Si idem; ergo cognito uno cognoscitur et reliquum.

Si dicatur quod cognoscimus illas quidditates, sed non perfecte, contra: primo quia hic repugnat duobus dictis Thomistarum, quorum primum est, quod nos non intelligimus quidditates substantiarum separatarum. Secundum est, quod cognoscimus esse illarum non quidditates. Ex primo arguitur sic, homo non intelligit quidditates separatas: ergo nullo modo intelligit eas. Tenet consequentia per locum a toto in modo ad suam partem negative. Ex secundo dicto arguitur sic: ea cognitio negatur de quidditate, quæ affirmatur de esse, sed esse non cognoscitur a nobis, nisi imperfecte: ergo cognitionem etiam imperfectam negare intendunt de quidditatibus. Si enim utrumque imperfecte cognoscimus, quare magis alterum negatur cognosci, aut alterum affirmatur: secundo probatur, quod responso in se sit falsa sic: si imperfecte cognoscimus quidditates illas, aut hoc est, quia nescimus eas ita perfecte sicut a seipsis cognoscuntur: et hoc non, quia hoc est ridiculum vertere in dubium, aut quia nescimus eas perfectione debita nobis secundum no-

stram naturam: et hoc est voluntarium: nulla enim ratione hoc convinci potest; uno namque ad corpus hoc impedire non potest, ut probatum est. Hæc de sexlo.

Quoad septimum pro responsione ad hæc argumenta prænotandum est, quod secundum doctrinam S. Thomæ I Parte, quæst. LXXXVIII et LXXXIX inter cognitionem animæ conjunctæ et separatæ hoc interest, quod conjuncta sicut habet modum essendi, concernendo corpus, ita habet modum intelligendi, convertendo se ad phantasmatà: ita quod ex conformitate modi operandi ad modum essendi, fit ut anima conjuncta sit conversa ad phantasmatà secundum intellectum possibilem, ut passivum ad activum: adeo ut non nisi ab illis cum intellectu agente recipere possit species. Separata autem a corpore, sicut habet alium modum essendi absque corporis informatione, ita habet et alium modum intelligendi, ut etiam ex conformitate modi operandi ad modum essendi fiat, ut anima separata convertatur secundum intellectum ad superiora activa, ut ab eis influxum specierum recipiat, utpote in modo essendi similis illis reddita, et corpore relicto liberior quodammodo facta amplius phantasmatibus non alligata.

Ex hoc autem oritur alia differentia, quod scilicet anima conjuncta non potest substantias immateriales cognoscere, nisi per species a sensibilibus acceptas. Alligatus est enim ejus intellectus phantasmatibus. Separata vero potest illas per species proprias cognoscere, cum conversa jam sit ad superiora.

Nascitur quoque ex his tertia differentia apud subtiliter speculantes animam esse partem speciei et uniri corpori propter melius: quia scilicet cognitio, quam habet anima per species acquisitas est cognitio distincta, et quidditativa pertingens usque ad ultimas rerum differentias. Cognitio autem, quam separata ex speciebus influxis sortitur, confusa est, et in communi res notificat. Cum enim anima naturaliter sit pars hominis, naturalem modum intelligendi ex propria natura sibi vendicat per species acceptas a phantasmatibus intelligere, et non per species influxas: hic enim modus intelligendi naturalis est in intelligentiis ex sua natura, et ideo sicut intelligentiæ perfectam rerum notitiam per species influxas habent: sic anima per species acquisitas de sensibilibus notitiam habere potest perfectam, species enim influxæ facultatem naturalem intellectus ejus excedunt. Est hic modus superiori ordini connaturalis et proprius, et animæ non convenit nisi per quandam defectivam participationem. Cum sit præterea talis inter substantias intellectuales ordo, quod quo proximiores sunt primæ omnia per solam suam substantiam intelligendo penetrant, eo per universaliores species rerum notitiam perfectam naturaliter capiunt: ultima inter eas anima, scilicet intellectiva ex natura sua, adeo dearticulatas exigit species, ut singularum quidditatum singulas oporteat habere similitudines, propter quod et corpori unitur, ut eas inde accipiat: et ideo vis ejus intellectiva, cum per species superiores, quales sunt influxæ, intelligere tentat, opprimitur quodammodo, et confusam tantum notitiam habet, sicut discipulus universales conceptus præceptoris apprehendere non valens absque distincta cognitione remanet. Hujus autem signum est, quod inter homines, qui sunt perspicacis ingenii, statim propositis principiis ad conclusiones sese conferunt, et ex eisdem principiis multas conclusiones speciales deducunt. Hebetis autem ingenii non nisi principiis applicatis a præceptore ad singulas conclusiones et in forma syllogi-

stica, et cum exemplis materialibus distinctam percipiunt veritatem.

Ex his jam potes intelligere, quod anima nec conjuncta, nec separata quidditativam cognitionem substantiarum immaterialium habere naturaliter potest: et quod plus est, habes ex his, quod anima separata per species influxas nec bovem nec leonem quidditative cognoscit, sed omnia præter suiipsius naturam in communi novit. Ubicumque autem alibi invenias a S. Thoma dici, quod anima separata quidditates substantiarum immaterialium novit, etc., recolo ab ipso vocari cognitionem quidditativam cognitionem eam, quam habet de illis anima separata per proprias species, quam habere non potest.

Ad rationem igitur primam dicendum est, quod licet intelligere substantias immateriales sit nobilissima operatio animæ intellectivæ, intelligere tamen eas quidditative est operatio sibi impossibilis: nec Aristoteles in I, aut X. Ethic. dixit oppositum: immo questio mota ab ipso in III de Anima, text. comm. xxxvi, nusquam soluta reperitur. Posuit enim felicitatem humanam in contemplatione substantiarum separatarum nobis possibili, quæcumque sit illa. Similiter dicitur ad secundam, quod unio animæ ad corpus non impedit cognitionem quidditativam substantiarum immaterialium: quandoquidem illa animæ secundum omnem naturæ statum est impossibilis. Quod si hæc duæ rationes formantur ad concludendum animam unitam posse habere talem notitiam substantiarum immaterialium, qualem per earum species separata habet: respondeatur ad primum negando, quod intelligere substantias immateriales tali modo sit nobilissima simpliciter operatio animæ, licet sit nobilissima secundum quid: majorem enim perfectionem simpliciter ponit in anima intelligere substantias sensibiles, distincte et quidditative: et substantias immateriales per effectus sensibiles et communia, quam intelligere ea in confuso: licet sit secundum quid nobilior illa confusa intellectio ex hoc quod est per earum species et immaterialiori modo. Unde dico, quod non inconvenit animam vostram impediri ab operatione nobilissima secundum quid propter perfectionem sibi nobilissimam simpliciter acquirendam ex unione ad propriam materiam: unde non sequitur unionem esse præternaturalem, sed naturalissimam, utpote propter perfectionem suam simpliciter: et presertim quia cognitio illa, quam habet, separata est sibi quasi præternaturalis, sicut et modus essendi, quem habet, etc.

Ad secundam dicitur, quod impeditur anima ex unione ad corpus, ad receptionem talis influxus ex hoc, quod modum essendi in corpore sequitur modus operandi non nisi per conversionem ad phantasmatà: naturalis enim conversio animæ ad phantasmatà est impeditiva conversionis ad superiora: probatio autem contra hoc nihil facit: contingit enim alio modo impedimentum dari, ut jam patet. Ad confirmationem dicitur, quod minor est falsa. Intelligere enim substantias immateriales tali modo est bonum animæ secundum quid, et non simpliciter: unio vero ad corpus cum sequentibus ipsam, est bonum ejus simpliciter.

Ad tertium dicitur, quod sive esse et essentia distinguantur, sive sint idem, non variatur propositum: in Deo enim sunt idem, et in aliis intelligentiis distinguuntur, et tamen eandem de utrisque profertur sententiam, dicentes quod cognoscimus esse, non quidditatem. Responsio ergo ibi data vera est: quia dicitur, quod cognoscimus quidditatem imperfecte. Nec hoc repugnat dictis Thomistarum. Non quidem primo: quia illud debet intelligi de cognitione quidditativa, et non de quæcum-

que cognitione : unde non valet, ergo nullo modo cognoscimus : sed, ergo nullo modo cognoscimus quidditative.

Secundo autem dicto nullatenus adversatur. Cum enim dicimus, quod cognoscimus esse et non quidditatem, assueti Peripateticis sermonibus, intendimus, quod scimus de illis terminare quaestionem an est, quod de esse quaerit : et quod nescimus de eis terminare quaestionem quid est, quae quidditatem scrutatur : et si secundum aliquod praedicatum quidditativum terminare illam noverimus ; notitiam illam quia et non quidditativam vocamus sequentes Aristotelis vestigia, quia notitiam rei per communia, notitiam quia in posterioribus analyticis appellat. Et propter hoc ea notitia proportionaliter negatur de quidditate a Thomistis in proposito, quae affirmatur de esse : quia notitia de propria quaestione quidditatis non haberi dicitur, notitia vero de propria quaestione ipsius esse non caremus.

Ad ultimum, quo probatur, quod responsio sit falsa in se : dico, quod ideo dicitur intellectus noster imperfecte substantias immateriales cognoscere : quia non quidditative potest eas apprehendere, et magis imperfecte in hac vita : quia per species aliorum. Et licet primo modo eas cognoscere sibiipsis tantum conveniat, et ridiculum esset dubitare an id, quod convenit solis intelligentibus, conveniat aliis : necessarium etenim est dubitare, an cognoscere eas quidditative sibi solis, an etiam animae nostrae conveniat, quod secundo modo eas cognoscere sit nobis in hac vita impossibile, non voluntaria, sed ratione cogente dicitur. Corpus enim unitum animae animam ad sensibilia convertit : ut declaratum est, etc.

Hoc tamen sciendum, quod non eodem modo sumitur genus et differentia in illis substantiis et in substantiis sensibilibus. Quia in sensibilibus genus sumitur ab eo, quod est materiale in re : differentia vero ab eo, quod est formale in ipsa. Unde dicit Avicenna in principio libri sui de Anima, quod forma in rebus compositis ex materia et forma est differentia simplex ejus, quod constituitur ex illa : non autem ita, quod ipsa forma sit differentia, sed quia est principium differentiae, ut idem dicit in sua Metaph., et dicitur talis differentia esse differentia simplex, quia sumitur ab eo, quod est pars quidditatis rei, scilicet a forma. Cum autem substantiae spirituales sint simplices quidditates : non potest in eis differentia sumi ab ea, quod est pars quidditatis, sed a tota quidditate, et ideo in principio de Anima dicit Avicenna quod differentiam simplicem non habent, nisi species, quarum essentialis sunt compositae ex materia et forma. Similiter etiam in eis ex tota essentia sumitur genus, modo tamen differenti : una enim substantia separata convenit cum alia in immaterialitate. Differunt autem ab invicem in gradu perfectionis secundum recessum a potentialitate et accessum ad actum purum. Et ideo ab eo, quod sequitur illas, inquantum sunt immateriales, sumitur in eis genus, sicut intellectualitas, vel aliquid hujusmodi : ab eo autem, quod sequitur in eis gradum perfectionis, sumitur in eis differentia, nobis tamen ignota.

Ponitur hic secundum notatum, quo unde sumatur differentia, et

unum genus in substantiis immaterialibus declarat opposita comparatione ad substantias sensibiles.

Ad ejus evidentiam scito, quod in rebus compositis ex materia et forma quatuor intelliguntur, scilicet materia, quae est altera pars compositi specifici, forma reliqua pars : tota quidditas ut habet rationem perfectibilis ulteriori perfectione formali, et ipsamet tota quidditas, ut habet ultimam perfectionem formalem; verbi gratia, in homine potes considerare materiam, in qua sua forma recipitur, et formam in illa receptam. Advertes etiam ipsum hominem, inquantum est substantia : est enim homo substantia, et ut substantia habet rationem perfectibilis per corporeum, per rationale, etc. Adverte etiam hominem, inquantum est rationalis naturae, quae est ultima ejus perfectio formalis. Haec autem quatuor ita se habent ad genus et differentiam, quod et materia, quae est pars, et ipsum totum, et perfectibile fundant genus, diversimode tamen. Forma vero, quae est pars et ipsum totum, ut posteriori perfectione formali perfectum fundant differentiam diversimode etiam. Cum enim genus potestate contineat differentias, incompletiorque ac in potentia rei naturam explicet, totumque secundum id, quo adhuc perfici potest importet, radix autem potentialitatis in rebus sensibilibus sit : materia merito a toto, secundum quod possibile est formaliter perfici, et a materia ipsa sumi dicitur. Similiter eum dicere sit dividere, terminare, et actuare genus totumque secundum posteriorem perfectionem et actualitatem explicare; radix autem actualitatis et perfectionis sit forma : merito a toto secundum quod perfectum est, et a forma differentia sumitur. Diversimode vero fundant genus et differentiam partes ipsae rei, materia scilicet et forma : et quidditas tota ut perfectibilis et perfecta. Sumitur enim genus a tota essentia, ut habet rationem perfectibilis, tanquam a re formaliter significata seu denominata ab ipso : a materia vero tanquam a radice sui formalis significati. Similiter differentia sumitur a tota essentia, secundum ulteriorem perfectionem, tanquam a re formaliter significata seu denominata ab ipsa : a forma autem, ut a radice sui formalis significati : non enim materia, quae est pars hominis, denominatur ejus genus : neque forma differentia, sed ipse homo ut substantia, ut animal generis denominationem sortitur, ut corporeus ut rationalis differentia denominationem habet. Et propterea quia genus et differentiam radicaliter fundant materia et forma : ideo ab Aristotele VII Metaph., text. comm. xxxiii, dicitur, quod sicut se habet tota ratio ad totam rem, sic pars rationis ad partem rei ; et VIII Metaph., text. comm. ix, invenies genus sumi a materia, et differentiam a forma. Praeterea, et comm. II Caeli, comm. xlii, ait, quod si corpora caelestia conveniunt in genere, et differunt in specie, sunt composita ex materia et forma, invenies quoque quia genus et differentia a tota essentia sumuntur, ut a re significata nomine primae intentionis, et denominata nomine secundae intentionis, et non a parte, illustres viros dicere quandoque quod genus non sumitur a materia, et differentia non sumitur a forma : quorum cum intuitus fueris rationes, supradictis non adversari videbis.

Quae cum ita sint in substantiis materialibus ad substantias immateriales ascendendo, genus sumi non dicimus a materia nec differentiam, a forma, quia carent his partibus : unde restat, ut a tota essentia tam genus, quam differentia non solum formaliter, sed etiam radicaliter in eis sumatur. Propterea et Avicenna ut in littera dicitur, assignat diver-

sitatem inter differentiam substantiarum compositarum et simplicium, dicens quod differentia in speciebus compositis ex materia et forma est simplex. Differentia vero rerum non compositarum, non: et vocat differentiam simplicem eam quæ non a toto radicaliter, sed a parte ejus exit quæ simplex est. Sumuntur ergo ex tota essentia in substantiis immaterialibus genus et differentia, sed differenter: quia genus sumitur ex tota essentia secundum id quod essentialiter una alteri assimilatur, conveniunt enim intelligentiæ in aliquo prædicato quidditativo. Differentia vero sumitur a tota essentia secundum id, quo una differt substantialiter ab aliis: et hic est certus formalis perfectionis gradus indivisibilis formaliter, quanto aliqua intelligentia, proximiori purissimo actui Deo glorioso sortita fuerit: tanto perfectior erit: per hoc enim differunt inter se, quod una altera propinquior est actui puro et plus a potentialitatis natura recedit.

Ad majorem horum intelligentiam altius exordendum est. Sciendum est namque, quod aliud est loqui de genere et differentia simpliciter, et secundum ea quæ sibi accidunt, et per se conveniunt: aliud est loqui de eis, secundum quod ad tales naturas applicantur. Si enim loquimur de eis secundum se: sic ad utriusque generis, scilicet et differentie, rationem exigitur, et sufficit quod differentia quidem explicet certum et limitatum gradum entis non extraneæ naturæ a natura generis cujus est divisiva formaliter: genus vero explicet certam naturam determinabilem formaliter. Et primum quidem horum quæ de differentia dicimus, sequitur ex eo quod differentia adveniens generi constituit speciem et ponit ipsam in determinato gradu entis, illo scilicet quem explicat, unde VIII Metaph., comm. x, species numeris assimulantur: eo quod, sicut numeros subtracta aut addita unitas variat, sic differentia addita vel subtracta entibus ipsa diversificat. Secundum autem sequitur ex eo quod differentia diversificare genus debet: ita ut non solum ipsa species sit altera ab altera specie, sed natura generis in hac specie sit diversa a natura generis in alia specie, ut X Metaph., text. comm. xxiv habetur. Unde in XI de Animalibus ait Aristoteles quod si debeat dividi figura, differentia ejus non erunt habere angulos æquales duobus rectis, et habere angulos æquales multis rectis: quia hæc accidentia sunt figuræ. Genus autem certam naturam significare oportet, ut transcendentia excludantur. Determinabilem vero formaliter ut specialissima segregantur.

Si autem loquamur de genere et differentia: ut applicentur ad substantias materiales: sic genus non solum explicat rem, ut determinabilem formaliter, sed etiam radiabiliter sumitur a materia: et differentia similiter, non solum significat determinationem et actionem generis, sed sumitur radicaliter a forma: sed hæc accidunt generi et differentie ex eo quod essentia, cujus sunt, est composita et realiter integrata ex duobus principiis, materia scilicet determinabili, et forma determinante. Per se enim convenit animal, quod significet naturam sensitivam determinabilem formaliter per rationale. Sed quia natura sensitiva habet, quod sit determinabilis per rationale ex hoc, quod habet materiam: ideo accidit huic generi, quod est animal, inquantum est genus quod sumatur a materia: unde si natura sensitiva esset determinabilis per rationale, et non ratione materie, non minus animal esset genus. Similiter rationale per se habet, quod significet ratiocinativam perfectionem essentialiter determinativam naturæ sensitivæ. Sed quia

gradus intellectivus habet quod determinet sensitivam ex eo, quod anima intellectiva est forma corporis, ideo accidit huic differentie, scilicet rationale, inquantum est differentia, quod sumatur a forma. Non minus enim rationale esset differentia si perfectior ratiocinativa determinaret sensitivam absque eo quod informaret animam corpus. Propter hoc communiter dicitur quod sumitur genus ab eo, quod est materiale, potius quam a materia: et differentia sumitur ab eo quod est formale, potius quam a materia. Illud convenit eis per se: hoc autem per accidens. Cum autem substantiarum immaterialium simplex essentia sit determinata, et definita ad certum perfectionis gradum, cum infinitæ entitatis non sit: consequens est ut in ea sit unde genus et differentia sumi queant. Ex hoc enim, quod natura limitata est, ex ipsa determinatione sumitur differentia. Ex natura autem communi, quæ determinari intelligitur, sumitur genus. Ex eo vero, quod simplex est seipsa terminatur, ita quod non habet duas partes reales, quarum altera terminetur, et altera terminet: sicut substantiæ sensibiles habent materiam et formam.

Et sic in acceptione generis et differentie in substantiis materialibus salvatur id quod est per se, scilicet, quod genus significet certam naturam formaliter determinabilem. Et differentia explicat determinatam perfectionem substantialem formaliter constitutivam illius in certo gradu entis, licet non salvetur id quod est per accidens, scilicet quod genus sumatur a materia: differentia vero a forma.

Ad profundiorum hujus rei perscrutationem notandæ sunt tres propositiones. Prima est, quod omne individuum distinctum realiter a suo esse, habet plura prædicata quidditative: quorum successu magis ac magis appropinquat ad suum esse. Secunda propositio est ista: Inter prædicata quidditativa supradicta talis est ordo, quod tanto minus quodque est actualius, quo appropinquat ad esse; et tanto est potentialius, quanto remotius est ab esse. Declaratur primo exemplariter, deinde ratione propositiones ista. Sortes distinctus realiter a suo esse existentiæ habet plura prædicata quidditativa, scilicet substantiam, corpus vivum, animal, homo; et certum est, quod Sortes inquantum substantia, valde elogatur a sua existentia: exigitur enim ad hoc, quod Sortes sit non solum quod sit substantia, sed etiam quod sit corpus. Cum autem acceperis Sortem inquantum corpus, viciniore apparebit ad existentiam habendam, licet adhuc satis elongetur ab illa: exigitur enim ad hoc, quod Sortes sit, non solum quod sit substantia corporea, sed etiam quod sit vivens. Et cum consideraveris Sortem ut vivum videbis magis appropinquare ad esse, tamen adhuc remotum; exigitur enim ad hoc, quod Sortes sit non solum quod sit substantia animata, sed etiam quod sit animal. Et cum inspexeris ipsum, inquantum animal, proximiorum ad essendum invenies, adhuc tamen remotum ex eo, quod exigitur ad hoc, quod Sortes sit non solum quod sit substantia animata sensibilis, sed etiam rationalis (nihil enim potest in rerum natura sub aliquo genere contineri, quod non sub aliqua specie contineatur). Cum autem consideratus fuerit ut substantia animata sensibilis rationalis, tunc jam esse actualis existentie suscipere potest: nihil enim aliud formale intrinsicum exigitur ad hoc, quod sit: licet requirantur causæ extrinsecæ et proprietates individualis: ut conditio existens. Patent autem adducta prædicata ita se habere, quod semper id quod propinquius se habet ad existentiam, comparatum ad remotius, se habet ut actuale ad poten-

tiale : sicut homo ad animal, animal ad vivum, vivum ad corpus, corpus ad substantiam. Et ex consequenti id, quod proximus est ipsi esse, est actualius : illud vero quod remotius est ab esse est potentialius, et sic patet utraque propositio exemplar.

Ratione autem proba : Cum enim esse sit actualissimum omnium, quae sunt in re, et tantae actualitatis, ut non nisi complete essentiae actus proprius sit, ad hoc quod essentiae ejus receptivum fiat, oportet intrinsece completam et determinatam esse ; sicut ad hoc, quod aer recipiat lumen oportet prius, quod perfectior a diaphaneitate : terminatur autem, perfectior, et completur substantia his praedicatis quidditatibus : et ideo quanto praedicatum quidditativum erit magis essentiae determinativum, magis appropriabit ipsam ad hoc, quod sit receptivum proprium ipsius esse. Et per oppositum quanto praedicatum quidditativum est minus determinativum essentiae, tanto minus eam appropriat ad hoc, quod capax sit ipsius existentiae : et quia unumquodque quanto est propinquius actualissimo, tanto est actualius, et quanto remotius ab illo, tanto est potentialius. Idecirco inter praedicata quidditativa talis est ordo, quod propinquius ipsi esse est actualius : remotius vero, potentialius.

His duabus propositionibus, postquam tertiam addideris, scilicet quod genus sumitur ab eo, quod est ut potentiale ; differentia vero ab eo, quod est ut actuale : conficitur regula generalissima, quod genus et differentia in omnibus sumuntur a tota essentia rei secundum elongationem et propinquitatem ad ipsum esse existentiae. Differentia enim ultima cum sit constitutiva speciei, et proprium illi inter entia gradum donet : ultimum complementum ipsius essentiae est, ad hoc quod sit. Ultra eam enim (ut jam dictum est) individuum nullum aliud complementum intrinsecum expectat, ut sic. Genus quoque generalissimum cum essentiam maxime determinabiliter explicet, ab eo sumitur, quo essentia ipsa ab existentia magis est elongata : utpote determinabilis et perfectibilis omnibus differentiis ad hoc, ut esse suscipere possit. Genera vero et differentiae intermediae ab intermediis sumuntur (et propter hoc dicitur quod definitio explicat definitum a prima potentia usque ad ultimum actum), includit siquidem primum genus, quod sumitur ab eo quo primo essentia ipsa potest habere esse, et omnes differentias, quibus paulatim essentia determinatur et actnatur usque ad ultimam differentiam quae est actus ultimo determinans et perficiens ipsam, ut esse habeat : propterea et Porphyrius ait, quod secundum interius perscrutantes differentia est, quae concludit ad esse. Nec propter hoc quod diximus intendimus, quod genus et differentia sumuntur ab esse actualis existentiae, scimus enim definitiones abstrahere ab esse : sed intendimus, quod genus et differentia sumuntur (ut verbis S. Thomae utamur) ab ordine ad esse actualis existentiae. Ab ordine autem dicimus non relatione ordinis, sed fundamento ejus ab eo, scilicet quod essentia appropinquat ut receptivum ad ipsum esse, et ab eo quo essentia elongatur ab ipso. Et secundum haec habes unde in intelligentiis, substantiis materialibus, et accidentibus sumuntur genus et differentia, ut facile est cuilibet exercitatio deducere in singulis. Et propter hoc solus Deus caret genere et differentia : quidditas enim sua cum sit sua existentia actualis, non potest concepti ut elongata ab existentia vel propinqua illi. Unde sufficientissimam causam S. Thomas in principio hujus capituli assignavit : quare Deus non sit in genere, et intelligentiae sint in praedica-

mento : quia ille est suum esse, istarum autem essentia distinguitur ab esse proprio.

Nec oportet has differentias esse accidentales, quia sunt secundum majorem et minorem perfectionem, quae non diversificat speciem. Gradus enim perfectionis, in recipiendo eandem formam, non diversificat speciem, sicut albus, et minus albus, in participando ejusdem speciei albedinem, sed diversis gradibus perfectionis, in ipsa formis vel naturis participatis, diversificat speciem, sicut natura procedit per gradus de plantis ad animalia, per quaedam, quae sunt media inter animalia et plantas, secundum Philosophum, in lib. de Animalibus.

Hic excluditur prima obiectio. Dicitur enim, quod differentiae in intelligentiis sumuntur a diversis perfectionis gradibus, quibus una altera propinquior est actui primo. Contra hoc instatur sic : quaecumque differunt secundum actum perfectum, et minus perfectum differunt solum accidentalibus differentiis : intelligentiae differunt non nisi secundum magis et minus perfectum, ergo differunt solum accidentalibus differentiis. Processus bonus : conclusio vero est falsa : ergo altera premissarum, non major, ut probatur : ergo minor, quae est positio supradicta. Probatio majoris est : quia magis et minus non variant speciem : albedo enim perfecta et minus perfecta unius speciei sunt ; quaecumque autem sunt ejusdem speciei accidentalibus solum differentiis distinguuntur, cum in omnibus essentialibus conveniant. Hanc objectionem excludit haec palestra distinctione. Perfectius et minus perfectum possunt attendi vel penes modum habendi aliquam formam unam simpliciter, vel penes ipsas formas habitas magis et minus : primo modo non variant speciem, sed secundo modo : quaecumque enim ita se habent, quod secundum diversos gradus perfectionis atomam suscipiunt formam, solo numero ut sic distinguuntur, ut patet de albo, ut IV de Albo, et VI. Ea vero quae diversos gradus perfectionis non ejusdem formae, sed plurium formarum suscipiunt, essentialiter seu specificè distingui necesse est, ut patet de homine et bove. Unde patet responsio ad objectiones, quod primo modo minor est falsa, secundo modo major. Cajus probatio ideo videtur sine additione vulgata, quia comparatio denotata per ly magis et minus non fit proprie nisi in anatomia speciei, ut dicitur VII Phys., in comm. xxvii.

Nec iterum est necessarium, ut divisio intellectualium substantiarum sit semper per differentias veras, quia hoc est impossibile in omnibus rebus accidere, ut Philosophus dicit, in XI de Animalibus.

Hic excluditur secunda obiectio. Obicitur enim contra idem dictum sic : Uicumque sunt verum genus et verae species, ibi debet esse artificialis divisio illius generis per duas veras differentias : sed in intelligentiis invenitur verum genus et verae species : ergo ibi debet esse divisio per duas differentias veras : Conclusio est contra divisionem supra assignatam, quia dictum est : genus intellectualium descendit ad suas species per magis perfectum et minus perfectum, quae non sunt verae differentiae. Major vero probatur ex eo, quod ubi verum genus cum veris speciebus invenitur, oportet esse divisivas ipsius generis et

specierum constitutivas differentias : ex eo autem quod divisio est secundum artem debet esse bimebris, ut Boetius testatur. Hanc objectionem excidit S. Thomas dicens majorem esse universaliter imposibilem secundum Aristotelem sententiam in II libro de Animalibus.

Ad cujus evidentiam notandum, quod cum veræ differentia appellentur differentia positive non extraneæ contraria inter se convertibiles cum his quorum sunt differentia, ut ibi dicit Aristoteles cap. III; genus illud, quod plures duabus speciebus continet, immediate non potest dividi duabus veris differentiis; sed si veris differentiis dividendum erit, potestatem ejus evacuantibus, oportet quod dividatur pluribus duabus : et sic divisio non erit bimebris; si enim divisione bimebri partiendum erit, oportet alteram differentiam esse non veram : erit enim cum privatione accepta alterius. Sicut si animal immediate contineat hominem, bovem et leonem, oportet tribus veris differentiis dividi vel altera vera, puta rationali : altera non vera, sed privativa communi reliquis duabus, puta irrationali. Quia igitur inveniuntur aliquæ res in mundo plures duabus contentæ immediate sub aliquo communi formaliter divisibili, ideo dicitur, quod impossibile est universaliter, quod omnis divisio fiat per duas differentias veras : et hoc in proposito nostro accidit. Cum enim intelligentia careant genere subalterno, ut S. Thomas in tractatu de natura generis, cap. v, testatur, eo quod perfectio earum ex pluribus conjunctionibus differentiarum non consurgit, sicut perfectio specierum in istis inferioribus, quibus non sufficit genus commune et differentia, omnes immediate sub uno genere continebantur : et sic genus earum, si veris differentiis ad illas descendere debet, oportet multimembrem fieri divisionem nobis ignotam : quod si bipartita divisione contrahendum erit, alteram simpliciter necesse est esse non veram, quia privativam ; alteram propter debilitatem intellectus nostri ad nullam propriam earum differentiam descendere potentis, necesse quoque est esse non veram. Tales autem fuerunt differentia in littera assignata : scilicet magis perfectum et minus perfectum.

Ex his jam patet responsio ad objectionem, declarata impossibilitate majoris universaliter. Boetii vero dictum non obstat : quamvis enim dicat divisionem omnem ad bimebrem reduci, non tamen dicit, quod omnis bimebris fiat per differentias veras inferiorum per illam divisionem accipiendorum.

Tertio modo invenitur in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus et esse est receptum et finitum propter quod et ab alio esse habent, et iterum natura vel quidditas earum recepta est in materia signata et ideo sunt finita et superius et inferius et in eis jam propter divisionem materiae signatæ possibilis est multiplicatio individuum in una specie : et in his substantiis, qualiter se habeat essentia ad intentiones logicas supra dictum est.

In hac quarta et ultima parte hujus capituli quatuor colligit de essentia substantiarum compositarum. Primum est, quod esse earum est limitatum : quia habent illud ab alio utpote distinctum realiter a se : et per hoc primo distinguitur a primo ente cujus esse est infinitum, et idem realiter suæ quidditati.

Secundum est, quod essentia earum est recepta in materia signata :

sunt enim in hoc vel in illo ad hic et nunc determinatæ : sicut formale per suum materiale.

Tertium, quod ex istis duobus corollarie sequitur, est quod sunt finita superius et inferius. Superius quidem, quia habent esse limitatum, et essentia earum per ipsum esse, quod, ut superius respicit, terminatur. Inferius vero, quia recipiuntur earum formæ in materia, et ipsæ ad hoc et illud terminantur, quæ respiciunt ut inferius : per hoc quod in his et illis conditionibus materialibus recipiuntur tanquam in parte materiali.

Quartum est, quod essentia earum est multiplicabilis numeraliter in eadem specie propter materiae signatæ divisionem. Et per hæc tria differunt ab intelligentiis in secundo ordine positæ, quæ immunes a materia infinitaque inferius parem sibi non compatiuntur. Et sic terminatur tractatus secundus hujus libri.

CAPUT VII

Quod accidentia habeant essentiam incompletam ostendit. Varia item accidentia distinguit, et quomodo in ipsis sumatur genus et differentia exponit.

Nunc autem restat videre, qualiter essentia sit in accidentibus : quomodo autem sit in omnibus substantiis, dictum est. Et, quia, ut dictum est, essentia per diffinitionem significatur, oportet quod eo modo habeant essentiam, quæ habent diffinitionem. Diffinitionem autem habent incompletam, quia non possunt diffiniri, nisi ponatur subjectum in eorum diffinitione : et hoc ideo est, quia non habent in se esse absolutum per se a subjecto ; sed sicut ex forma et materia relinquuntur esse substantialia, quando componitur, ita ex accidente et subjecto relinquuntur esse accidentalia, quando accidens subjecto advenit. Et ideo etiam nec forma substantialis completam essentiam habet, nec materia : quia in diffinitione formæ substantialis oportet, quod ponatur illud, cujus est forma, et ita diffinitio ejus est per additionem alicujus, quod extra ejus genus est, sicut et diffinitio formæ accidentalis ; ut etiam in diffinitione animæ ponitur corpus a naturali, qui considerat animam solum, in quantum est forma physici corporis. Sed tamen inter formas substantiales et accidentales tantum interest : quia sicut forma substantialis non habet per se esse absolutum sine eo, cui advenit, ita nec illud, cui advenit, scilicet materia : et ideo ea ex conjunctione utriusque relinquuntur illud esse, in quo res per se subsistit, et ex eis efficitur unum per se : propter quod ex conjunctione eorum relinquuntur essentia quædam. Unde forma, quamvis in se considerata non habeat rationem completam essentia, tamen est pars essentia completæ. Sed illud, cui advenit accidens, est ens in se completum consistens in suo esse, quod quidem esse naturaliter præcedit accidens, quod